

## NUNCUPATORIA.

itineris: nescius interim, quae sit forma & magnitudo Solis, & quam longinquum iter, quod quotidie permeat. Si eidem dicas, & ex Astronomia demonstras: Solē esse globum, globo terreno centies sexagies sexies maiorē; & circulum cursus ipsius quotidiani cōtinere plus quam quadragies centena millia miliarium Germanicorū: non amplius admirabitur, sed plane obstupescet ad tanta naturae miracula; & exclamabit cum Davide: Iehova Deus noster, quā admirabile est nomen tuum in universa terra! Et, quid est homo, quod tu, tantarū rerum conditor & effector, es memor eius? Adde, quod semper ita iudicatum est, post arcanam operationem Spiritus Dei, nihil esse quod hominē mansuetiorem reddat, quā caelestis illius Philosophiae cultura. Mansuetudo autem bone Deus, quantum, & quam rarum est Theologorum ornamentum! Et quam optandum esset hoc seculo, omnes Theologos esse mathematicos, hoc est, homines tractabiles & mansuetos. Quamquam, ne quis meo exemplo abusus plus nimio his speculationibus tribuat; & interim officium suum negligat: aperte fateor, ut privata & modica harū rerum exercitatio nemini nocet: ita publicā & assi-

(a) 3      duam